

21

1733, 19

FACULTATIS JVRIDICÆ
P. T.
DECANVS,
ERNESTVS TENZELL,
JCTVS,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI
CONSILIARIVS REGIMINIS, JVDICII PROVIN-
CIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC
DICTÆ CIVITATIS CONSVL
PRIMARIVS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

EXCELSITVVS HARICVS
DRGVNVS
ERNESTVS TENGEL

EMINENTISSIMI H[ONORIS] CLOVIS MCGINTY
CONSULATVS RUDOLPHVS LUDICVL MCGINTY
CHRFSTORVS VASSZOR AG
DICTV CONSULTATIVS
LITERATVS

LA 2

THEO. JON. CHR. D. G. P. M. P. R. M.
1750. 1751.



Nter illa quæ homines sibi invicem
debent officia, p̄cipuum esse il-
lud, quod ex societate connubiali
oritur, vix erit, qui neget. Est
enim matrimonium primum qua-
si specimen vitæ socialis simul-
que generis humani seminarium.

Qua verò norma, quibusve legibus ista regantur offi-
cia, vix suis caret difficultatibus. Non enim ardenter
illam sexum inter se proclivitatem, quam Natura
omnia animalia docuit, absque limitibus hominibus
liberam & vagam relictam esse, putandum est. Neque
etiam hominum coniunctiones eadem norma qua bru-
torum censendæ sunt. Sicut enim homines ad imagi-
nem Dei sunt creati, bruta verò ad usum hominum
producta: Ita longè sublimius est rectæ rationis ab
anima immortali directum dictamen, quam illi ani-
malium brutorum utut analogi quid rationis ex Sapien-
tissimi Creatoris ordinatione habere videantur, quibus
reguntur, instinctus. Variæ autem inter varias gentes
inveniuntur connubiorum leges, & consuetudines.

(2

Unde

Unde non exigia circa negotia coniubialia oriuntur dubia. Et licet quæ inter juris Naturæ Doctores vix unquam speranda controversiarum conciliatio, ex sacris paginis in multis optimam capiat decisionem, nec hic tamen omnes scrupuli cessant, dum quæ leges sint morales, quæ positivæ, eæve vel universales, vel particulares, non una omnium est sententia. Tuttius tamen in dubio sequimur revelationem voluntatis Divinæ. Quæ sicuti officia hominum in dilectione DEI & proximi posuit, ita peculiariter illam inter conjuges dilectionem præcepit. Quæcunque ergo conjugum actiones ab illa abeunt, sunt damnable. Et ut conjuges eò tutius hæc sua officia impleant, pro negotiis gravitate, eò magis delibérato animo imo proprio Divino Numinе, homines ad illa accedere, decet. Hic enim delibérandum est diu, quod statuendum est semel. Hinc rectissimè inituri matrimonium, de pactis folliciti sunt, honestis tamen, & in jure non prohibitis. Fides quippe conjugalis quo magis in arctissimam socialitatem conjuges adstringit, eò sanctiorem mentis sinceritatem, à fraudibus maximè alienam requirit. Violatio enim illius fidei ex parte tam mariti, quam uxorii, nullo modo licita est. Hujus deliberationis quoque gratia introducta sunt ab antiquissimis temporibus nuptias præcedentia sponsalia, quæ cum sint mentio & remissio futurarum nuptiarum, omnino à nuptiis differunt. Non quidem affirmaverim solo jure Canonico dari sponsalia de præsenti & de futuro, licet ipsi termini inde originem acceperint. Dari quippe etiam jure Civili sponsalia de futuro, & de præsenti, res ipsa loquitur, dum scilicet quædam sponsalia pure, alia vero sub conditione fieri, videmus. Sed profundior
rem

rem hic latitare subtilitatem constat, dum in dubium
vocatur, an non inter ordinarias, easque puras uxo-
rum sponsiones, & solennitatem ducendi uxores, nul-
lus jure Romano fuerit intermedius & distinctus de
nuptiis consensus? Negare hoc conatur JCtus cele-
berrimus *Ulricus Huberus Digress. Lib. II. cap. IX.* ideo
quod clare doceant JCti Romani, matrimonium con-
sensu perfici *l. 30. de R. J. l. 15. de C. & D. l. 4. de fide in-*
strum. l. p. & f. pr. ff. de don. int. vir. & uxor. Qui con-
sensus Romanis idem fuerit ac sponsalia, neque alium
de fide conjugii intervenisse consensum. Idemque ve-
lit Ulpianus, in *l. 2. ff. de sponsal.* ubi moris fuisse veteri-
bus, tradit, stipulari & spondere sibi uxores futuras; quæ
sponsio fuerit ipsa conventio matrimonialis. Siquidem
conventio ineundi connubia, qua fides conjugalis ab-
solvitur, JCtis pro matrimonio habeatur, eandemq; dici
sponsalia, quia sponsionem rei futuræ, scilicet implemen-
tum voti connubialis spectet. Unde sic colligitur: con-
sensus de nuptiis mox implendis, sponsio est, & sponsos
facit, & sponsalia vocatur; idem consensus est matri-
monium: Ergo sponsalia & matrimonium res una,
eademque sunt. Verum enim verò vix est, ut hæc
viri hujus doctissimi sic inscripta probatio, an tenta-
rio tantæ sit efficaciam, ut eidem subscribendum, no-
bis visum fuerit, quin potius communis sententia,
quæ in ipsis rerum argumentis consistit, & experientiâ
confirmatur, tutiorem approbationem inveniar. Li-
cer enim tam sponsalia, quam nuptiæ, consensus perfici-
antur, facile tamen, alium esse sponsalitium, alium
matrimonialem consensum, appareat. Cum enim spon-
salia sint mentio & repromissio futurarum nuptiarum,
nuptias verò consensus faciat, necessario sequitur alium

in nuptiis, qui futurus est, consensum intelligi, alium
vero in sponsalibus qui quidem præsentem sponsionem
denotat, non verò præsentes nuptias. Jam igitur faci-
lis erit responsio ad argumentum propositum. Negat-
ur quippe, eundem consensum, qui est de nuptiis
mox implendis, ac sponsio est, & sponsalia voca-
tur: etiam matrimonium esse. Contradictionem
quippe implicaret, consensum de futuris nuptiis eun-
dem esse, quil est de nuptiis præsentibus. Cum eo
ipso, quo quid est præsens, non potest esse secundum
idem, ad idem, & eodem tempore, futurum. Ex
illis autem societatibus connubialibus, majores cum
tempore societas ortæ, quæ Civitatis nomine ve-
niunt. Quæ quidem non simpliciter ex necessitate ori-
ginem coeperunt, cum scilicet qui civis fit, libertatis
naturalis jacturam faciat & imperio sese subjiciat; sed
ut præsidia sibi cineum ponerent homines, contra ma-
la, quæ homini ab homine imminent. [Hinc peculiaria
civium erga cives, imo civium erga civitatem, & ci-
vium, & exterorum erga civitatem officia oriuntur,
quæ officia, ubi utilitatem publicam immediatè re-
spiciunt, juris publici circulum ingrediuntur. Et de ta-
libus officiis, quæ specialiter civitates concernunt,
tractat *L. Civitas* 27. ff. de *reb. cret.* Cujus in lectio-
ne suâ cursoria, explicationem suscepit

NOBILIS ET CLARISSIMVS JVRIVM
CANDIDATVS

DN. JOHANNES HENRICVS
Kellner.

Ortu Wanslebiā Magdeburgicus, ubi primam lucem
aspexit die 1. Febr. Anno 1704. Patrem habuit Dn. JO-
HAN-

HANNEM HENRICVM KELLNERVM, Potentissimi
Regis Borussiae, & Electoris Brandenburgici, tunc tempo-
ris Praefectum supremum. Postea autem Sereniss. Du-
cis Cizenhs Consiliarium, & Prefectum Sulanum. Tandem
autem Sereniss. Duci Saxo-Hildperhusani Consiliarium &
Prefectum Heldburgensem, tristi nunc fato ipsi erectum.
Matrem vero hucusque superstitem veneratur Dn. JO-
HANNAM ELISABETHAM, Dn. JOHANNIS JOA-
CHIMI MÜLLERI, Parent. Regis Boruss. & Electoris Bran-
denb. Consiliarii, & in Ducatu Magdeb. Dryclebie Prae-
fetti, filiam. Prima dilectiss. Parentum cura fuit, ut fi-
lius Sacro Baptismatis fonte initiatus, privata infor-
matione non modo Religionis Christianæ fundamenta
hauriret, sed & ut in honestis moribus & bonarum
artium rudimentis proficeret. Donec tandem Anno
1718. Schleusingam accedens in illustri Gymnasio ibidem,
elegantioris doctrinæ in studiis humanioribus fieret
particeps. Post ad alteriora tendens perantiquam Uni-
versitatem Hieranam Anno 1722. adiit, ibique per trien-
num substitit, atque in Philosophicis & Philologicis
Clarissimi Dn. M. BUCHNERI, in studio vero Juris
Prænob. Dn. D. RUMPELII auditor fuit. Anno 1725. Je-
nam se contulit, ibique JCIorum & Professorum ce-
leberrimorum, Dominorum DRESSELII, LANGGV-
THII, HEIMBURGII, prælectionibus ad institu-
tiones Justin. Pandectas, Juris iridem Canonici, Feudalis,
& Præeos Jurid. sedulo interfuit. Anno 1728. ad La-
res Patrios aliquandiu rediit, quibus ex domesticis qui-
busdam rationibus, anno 1729. rursus relatis, per ali-
quot mensura spatiū Magdeburgum visitavit, atque
hinc Dresdam tandem elegit. Ubi huc usque constan-
ter moratur. Ut autem honores acquireret Academi-

608,

cos, præmissis specimini bus inaugura libus, ad quæ
literis se obtulit, transmissis textibus ex utroque Jure
resolvendis, Examen rigorosum ipsorum instituimus.
Ubi talem se præstitit, qui ad ulteriora specimina ad-
missus fuit. Post lectionem itaque cursoriam ad d.
L. Civitas 27. ff. d. R. C. horis locoque consuetis die
C XI. hujus Maji

DE RESTITUTIONE IN INTEGRVM VNL
VERSITATIS,

Pro Gradu acquirendos disputabit. Quos Actus so-
lennes, ut præsentia sua condecorare velint, Universi-
tatis Nostræ Patroni, in specie Magnif. Dn. Rector
cum reliquis Dominis Proceribus, Membris & Civibus,
est, quod debita cum observantia & humanitate in-
vitantur. Publ. Dom. Rogate die X. Maj. Anno
M DCC XXXIII.



ULB Halle

3

005 355 664



B.I.G.

Black



1733, 19
21

FACVLTATIS JVRIDICÆ
P. T.
DECANVS,
ERNESTVS TENZELL,
JCTVS,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI
CONSILIARIVS REGIMINIS, JVDICII PROVIN-
CIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC
DICTÆ CIVITATIS CONSVL
PRIMARIVS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.